QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS SEPTIMA APRILIS, MAGISTRO FRANCISCO LESPICIER, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An febri balneum?


ONTRARIORVM eadem ſæpe cauſa eſt, effectus idem. Ex caloris cum frigore conſociali connubio amica vitæ, haud perpetuò ſimilibus retinenda naſcitur ſanitas; morbus ex diſſidio, quibuſcúmque machinis modò ſimilium, modò contrariorum expugnandus: paribúſne an imparibus? Omnis ab intemperie morbus; vix ſine hac vllus organicus: at calidâ frequentior, ſæuior, curatu facilior nulla. Quæ citò inuadit, citò abit. Natiui caloris in igneum facilis conuerſio in parte φλόγωσιν, in toto febrem accendit: cuius tamen incendium niſi cor perennem vitæ focum obſederit, ei conſtanter adhæſerit, actiones naturales oblæſerit eo nomine non dignamur.


VI calor ille præter naturam inſidet πρώτῳ δεκτικῷ, ex eo tibi ſunt repetendæ febrium ſpecies. Nam ſi ſpirituoſæ ſubſtantiæ inhæreat, ephemeram; ſi humidæ, putridam in vaſis minoribus intermittentem ſecuram, in maioribus continuam periculo non carentem; ſi ſolidæ, ſoli & propriæ cuiuſcúmque febris materiæ, hecticam ἀνάλγητον καὶ ἀνώδυνον, rarò ab initio (in quo vix dignoſcitur) oriundam producit. De quo ſoli naturæ facilis foret victoria, niſi nouas comes aſcita ſiccitas; etiam medici conatum ſi in maraſmum abeat eludens, vires adderet. Geminum malum frigidis humidis oppugnandum: hæc illis minùs actiua, magis tuta.


STA licet extinguendo febrili incendio nonnunquam ſatis ſint: ſæpe tamen intrò latitans mali fomes aliò medici diuertit operam. Hinc curationis ſcopus duplex, euacuandi, alterandi. In omni morbo ἀλλοίωσιν κένωσις antecedat. A clyſtere omnis ſit euacuationis exordium. Ex toto vacuant phlebotomia etiamnum inchoante morbo, & catharſis apparentibus præcipuè coctionis indicijs celebranda. Fruſtra, laborante toto parti duntaxat vni præſcribis remedia. Cordi, hepati, renibus admoti in febribus ſacculi, fotus, epithemata ſæpe noxia. Semicupia vteri, ſedis, veſicæ, coli, renum affectibus idonea; algenti ardentíue ὁλομελία inualida. In toto alterant intus alimenta frigida, humida; potus è gelidâ: foris temperatum dulcis aquæ balneum: frigidum adoleſcentibus, calidum bilioſis inimicum: Laconicum morbis naturíſque frigidis opportunum.


VÆ ſponte ſcaturiunt ſale, nitro, ſulphure, alumine, bitumine, ferro, ære, cupro, auróue medicatæ naturales thermæ (quales apud Boios, Aruernos, Aquiſgranum & paſſim alibi) epilepſiæ, paralyſi, palmo, hydrωpi, arthritidi, ſcabiei, antiquis vlceribus haud rarò profecere. Olim ex oleo paratæ balneæ neruorum ſtupori, tremori, conuulſioni; ex vino rubro, veteri & auſtero (nunc ex calcatis in labro vuis aut vinaceis) partibus roborandis: ex lacte emaciatis; ex huius ſero exanthematis ac impetigini ſalutiferæ: ex humano ſanguine ad lepram inutiles, impiæ. Satius ὑδροφόβους eſcharωticis, cauſticis citò tutóque liberare, quàm ad oceanum ter præcipitandos ablegare.


EPIDO potabilis ac ſyncerae aquæ balneo in morbis præcauendis curandíſque vis longè maxima. Æſtate tamen quàm hyeme, duris quàm corpulentis lauari magis expedit: coctis morbis non crudis, puro non impuro corpore: nec ſtatim ante vel à cibo, potu, exercitio. In ſolio quieſcendum, tacendum; aliquando purgandum. Quibus in morbis aluus plus æquo fluit aut ſiſtitur, his balneum non competit. At ſitim ſedare, irritare appetentiam, ſomnum conciliare, coquere, æſtuantes algentéſque reficere, quouis modo exſiccata ſqualidáue corpora humectare, prauos ac bilioſos ſuccos euacuare, capitis grauitatem ſoluere, pleuritides ac peripneumonias mitigare, menſes, vrinas, hæmorrhoidas prouocare, laſſitudines tollere, cutim expurgare eſt animus? præſtabit balneum; toto cuiuſq; febris decurſu expetitum, morbo & paroxyſmo declinantibus potiſſimùm decernendum.

Ergo febri balneum.

Propugnabat IOANNES BOVRGEOIS Pariſinus, anno R. H. 1616.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Joannes Couſin M. R.
M. Hieronimus Goulu, Prof. Reg.
M. Symphorianus Hautin.
M. Henricus Blacuod M. R.
M. Gabriel Biart.
M. Joannes Degorris M. R.
M. Georgius Arbault.
M. Nicolaus Ellain.
M. Guillelmus de Baillou.

